



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiae,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra militia Henrici Comitis Limburgensis, & Ducis Lotharingiae. Cap.
LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

Ægyptio cum fratre imperfectis, magnam laudem adeptus est.

De sacra militia HENRICI Comitis Limburgensis, & Ducis Lotharingiae.

C A P. L I I I.

GO DE FRIDVS DuxLothariensium, & Princeps Ierosolymitanorum, moritur. xiv. & ultimus bene-ficiarius Bra-bantie Dux.
Balduinus frater eius in regno ei succedit anno c. 10. c. Deinde, anno primo Henricus Im-
perator, Henricum Limburgensem sibi ad-
uersantem debellat; & expugnatis eius ca-
stellis, eum ad ditionem coëgit. Sed Impe-
ratorei multa summa gratiam suam redimit:
etiam Ducatum Lotharingiae donat.

Hic sacrum bellum habuit contra Henri-
cum i. v. ad quod etiam filium Imperatoris
pertraxit. Sed cùm postea ad patrem à filio
deficeret, prioris meriti gloriam omnem ob-
scurauit, & perdidit. Ducatum quoque suum
amisit. Anno enim c. 10. c. v. Henricus de
Limborch Dux, vt reus læsæ maiestatis ab
Henrico Imperatore v. custodiæ traditur, &
Ducatus eius, iudicio principum aulæ Impe-
rialis, ei abiudicatur, & Godefrido Comiti de
Louanio in perpetuum possidendus ab eo-
dem Imperatore traditur. Anno sequenti, Si-
geberto teste, Héricus exdux affectans repe-
tere Ducatum, oppidum occupat. Aquis-
granense contra Godefridum Ducem: sed
hoc non ferens Godefridus, in oppidum
Aquense vi irrumpit, oppidanos à facie Hen-
rici

rici exterruit, aliquos potentes Comites & nobiles cepit. Ipse Henricus cum filiis suis vix fuga elapsus est: vxorem Godefridus capere indignum duxit. Comites & honatiores eorum quos ceperat, ea lege ut sub se mererentur, conciliatos sibi fideles effecit.

*De sacra militia Portugalensi HENRICI
lij Henrici exducis, & posteriorum.*

C A P. L I V.

*Filius ulti-
mi beneficia
rū Duci Bra-
bantie.*

PATERNA infelicitas felicem reddidit Henricum exducis filium. Hac enim ille occasione in Hispaniam militatum abijt: ubi cùm multa præclarè gessisset cōtra Mauros & Sarracenos; in præmium militiæ impetravit ab Alphonso v i. Castiliæ & Legionis Rege notham ex pellice filiam Tiresiam, & Portugaliæ regnum. Cuius ab hoc Henrico principium est.

Filius eius Alphonsus Rex, belli studiis, ut pater, præclarus, eadem pugna quinque Sarracenorum Maurorumque Reges vicit; & Vlissibonam, barbara Maurorum seruitute diu pressam Christianis suoque Imperio vindicauit. Et ob quinque simul Reges uno prælio superatos, quinque scutorum insigne facti monumentum posteris reliquit.

De

*Ro
thi*